

Factâ nunc correctione temporis debitâ, ad inde deducenda nos conferamus. Quoniam Mercurium non amplius digito à limbo Solari distantem ipsique gradu præpete accelerantem reperi, & exigua, quâ insequi licuit, orbitæ portiuncula pro angulo, secundum quem ad Eclipticam inclinata fuerit ipsa, pronuntiando haud sufficit, hac misâ, ad aliquanto accuratiùs observatum, ex limbo solari, egressionis punctum advortamus animum: disparuit autem Mercurii globulus ad 14. gradum limbi à puncto verticali Septentrionem versùs numeratum, dum horologium oscillatorium ultra horam matutinam octavam diei ultimi Octobris anni 1690. triginta sex minuta prima indicaret, quod tamen (uti posthac docebimus) octo minutis primis & viginti novem secundis verius anticipare tempus, captæ altitudines solares aliquot, indeque supputata tempora arguunt, ut proinde 27. min. 31. sec. post horam octavam Mercurium spectatoribus valedixisse statuendum sit, quo momento Solem ex dodecatemorio Scorpii $18^{\circ} 23' 6''$ absolvisse & respondentem huic loco Ascensionem rectam $225^{\circ} 54' 47''$ recentissimæ tabulæ meæ solares exhibent, quâ & distantia Solis à Meridiano adhibitis, ope calculi trigonometrici eruitur angulus Horizontis & Eclipticæ obtusus *Fig. 8.*
 $131^{\circ} 38' 35''$ ablato inde quadrante fit angulus Verticalis & Eclipticæ $41^{\circ} 38' 35''$ quo, cum distantibus Mercurii à Zenith 14. gradibus, conjuncto & Latitudinem & Longitudinem Mercurii retrogradi ope trigonometriæ facili negotio colligere licet, hanc quidem in Ecliptica à centro Solis contra signorum seriem 2822, illam in circulo Latitudinis versùs Boream numeratam 4128. partium, qualium diametro Solis 10000. tribuimus: quas hinc unusquisque, pro statutâ sibi diametro solari, in scrupula circuli convertere non nequit, verbi gratiâ: si diametrum disci Solis ex accuratissimâ Dom. Picardi tabula huic tempori convenientem *Elem. de l'Astronomie. Observ. faites en l'Isle de Cayenne*
 $16' 17''$ assumserimus, Latitudo Mercurii ex Sole egredientis erit, $13' 26''$ & distantia circuli Longitudinis ejusdem à centro Solis $9' 11''$ quæ à loco Solis ablata dat Longitudinem Mercurii retrogradi $118^{\circ} 13' 55''$ Diametrum ejusdem ellipticè deformati minorem, quæ, ob circumfusum, ipsius corpusculo, lumen solare amplissimum, terminis minùs distinctis, dilutior apparuit, non nisi $8\frac{1}{2}$. part. millesim. diametri solaris, verâ minorem censere fas erit, eligendaq; potiùs quam circa finem, nimio Solis fulgore liberatus, sub ipsa genuina globuli forma exhibuit ampliorem, videlicet $12\frac{1}{2}$. partium diameter, quæ eâdem ratione reductæ $24''$ pro diametro stilbontis (jam non relucentem sed umbrosam nobis obvertentis faciem) dabunt. Nunc ad deducendam ex observatione isthac differentiam Longitudinis, nos inter & urbem Sinarum Canton, pergamus, ubi Rev. P. Fontanay phænomeno eidem observando dedit operam, cujus adnotata momenta Ill. Cassinus in commentario academiæ Gallorum Regiæ Mathematico-Physicorum, anno 1693. d. 15. Maji edito recenset, & cum iis, quæ heic Norinbergæ observavi & consignavi ego, confert, quo parario autem observatio isthac mea, juxta me, etiam heic degenti Celeb. Dom. Eimmarto, qui trans obstantes sibi nubeculas

Elem. de l'Astronomie. Observ. faites en l'Isle de Cayenne

beculas